Bona Sforzia ~~Cimel. IV. d. 134~~
Poloniae Regina.
1518
Restionis Ludovici: Oratio ad Illustriss. Bonam Sforziam, Principem Mediolanensem, Ducem Bari, ac Poloniae Serenissimam Reginam.



ORATIO AD ILLVSTRISSImam BONAM Sfortiam, Principem Mediolanensem Ducem Bari, ac Poloniæ serenissimam Reginam.

Per LOdouicũ Restionẽ Vordinganũ
14. Kaleñ. Aprilis. Anno. 1518.
in eius aduentu, Vniuersita-
tis Viennensis nomine, in
magno tum procerum,
tum eruditorum cõ-
sessu habita.

TETRASTICHON EIVSDEM.

Accipe læta tuas Princeps mitissima laudes
Nec sperne exiguo pectore nata tibi
Sic Lncina tibi faueat, quo stemmate reges
Con tinuo parias Sfortia pulchra, bonos.



AMPLISSIMO AC MAGNIFICO VIRO IOAnni CONArſky Archidiacono Cracouienſi, Sereniſsimi Poloniæ Regis a Secretis & Oratori, ac literatorꝝ Mœcenati. LODOuicus REſtio Vordinganus fœlicitatem optat.



QVVM te ornatiſsime uir ſuperiore die ſciſcitandę ſereniſs. Poloniæ reginæ familiæ gratia adijſſem, tanta me humanitate ac animi beneuolētia & excepiſti & tractaſti, ut illud Gręcorū ἀι χάριτες γυμναί uerisſimū eſſe cōpereri, tu[illegible]ꝗ pulcherrīas uirtutes ꝗs in te nō obſcure ꝑſpiciebā uche[illegible]ter ſim miratus. Hortabaris aūt cādidiſs. nec amice minus ut oratiunculā quā nuꝑ ad ueſtrā ſereniſs. Reginā habebā, ſtanneis literis excuſam ederem. Quamuis autē me nō præteriret multorꝝ calculus, tuis tamē canddiſsimis iuſsis nō obtēperare nolui, itaꝗ excuſa eſt & omnibus quotquot uolent cōmunicata. Non ꝙ arbitrer me digna dixiſse, neꝗ enim uſꝗ adeo mihi placeo, quū eius nobiliſsimæ uirtutes meam dicendi tenuitatem multis paraſangis præcurrāt, Sed ut hiſce qualiacunꝗ eſsent teſtatum facerē omnibus: ſi quid potuiſsem id omē in has ſplendidiſsimas laudes cupidiſsime effundere uoluiſse. Tuæ uero magnificentiæ propterea dicandam arbitratus ſum, ꝙ ſciam te pro innato candore tuo ꝗliſcunꝗ ſit boni conſulturum & a moroſioribus uindicaturum. VALE itaꝗ diis hominibusꝗ charus. Vienne.

EPIGRAMMA MAthiæ Paulini ad doctiſsimū LOdouicum REſtionem pręceptorem ſuum.

GRatulor inſignis præceptor/ contigit uni
Quod tibi Sfortiaden tollere in aſtra Bonam,
Orator quis enim torrentior ore diſerto
Te præter poſset qui celebrare Bonam?
Quæ ſtipata Bonis Nymphe pulcherrima trinis
Idalias Charites uincere ſola poteſt,
Cui palmam uictæ forma Pactolides ultro
Offerrent, formæ gratia tanta tuæ eſt,
O Bona uicturis ſemper memoranda camœnis
Quod modo non temere Reſtio doctus agit.
Qui te tam preſsis euexit ad æthera uerbis
Qui, ſi leua ſinunt numina, plura dabit.
Plura dabit uiridi Cedro digniſsima, quæ fors
Miratura uirum poſtera ſęcla legent.



ALlor BONA Sfortia, serenissima regina, si tam officiosum aduentũ nostrum, tam alacres uultus, tam exporrectas frontes & omnium in te oculos non sine ueneratione coniectos, ut rem insolitam non quadamtenus miraris, quid enim sibi hæc? At uero nihil minus q̃ mirabere, si & priuatã cuiusq; & publicã omniũ leticiam tum cõgratulandi reip. Christianæ cõmune studium, ac demũ, nec postremo, tuas candidissimas uirtutes, & ultra q̃ uel sexus uel hæc ætas ferre credatur, præclaras, causam nobis præstitisse animaduerteris. Quibus de mihi in presentia ad te illustrissima Princeps uerba faciũda, utinam tanta copia, tanta dignitate, quãta ui, quãta ubertate pectoribus oĩm cõcepta sunt, sunt autẽ summa. Iam primũ, quũ letissimus ille quidem sed tamen adhuc incertus rumor, cui iam euãgelia debemus, passim spargeret̃ nostræ urbi te adpropinquare nuptum SIGISMVNDO inuictissimo Poloniæ regi, nemo omnium fuit neq; plebis, neq; optimatũ, neq; & potissimũ literatorum, quẽ nõ ingens leticia, neq; tamẽ uel sine metu uel sine uotis incesserit, q̃ iam tum sibi ipsi omnes præsagirent has auspicatissimas nuptias non sine magno Christianæ reip. bono futuras: simulq; metuerẽt nequid aduersi fortassis, quale olim nec sine lachrymis, nec sine sanguine cõtigerat, in itinere te nobis aut interciperet, aut impediret, ac ꝓpterea ita secum tacite. O rerũ optime maximeq;

pater, qui piis miserum mortaliũ uotis, quotiens ad te confugit, nunq̃ dees. Prohibe, suplices oramus, ne quod in tuum sanctissimũ cultum tuendũ ac religionem propagandã tam pie, tam sapiẽter ceptum est, aliquo aut impio tyrãno, aut aduersa, ac calamitosa fortuna interuertat. Hanc autẽ nostram piissimã sollicitudinẽ non mediocriter auxerant regii oratores amplissimi & magnificẽtissimi uiri, Qui cum re, infecta rediisent, ita primũ existimari poterat, ferebatur enim uulgo te propterea inconstãti pelago creditã non esse ne multarũ gẽtiũ sal⁹ & incolumitas in tuo sinu fęlici reposita tecum periclitarent, Quam tum publice ueritum est nequid Adria, nequid Boreas crudele in hos fœlicissimos Hymeneos machinaret. Quãdo uero iam nihil discriminis supererat, nihil amplius de tuo exoptato aduentu posset ambigi ꝙ in ipsis foribus adesses, in tanta gaudia, tantosq̧ plausus publicus hic mœror uersus est ut nulla domus omnino huius tantæ & pene insuetæ leticiæ non particeps facta sit, ipsa fere mœnia ipsiq̧ lapides, si per naturam licuisset/gestierint. Causa erat Christianæ reip. quies, incolumitas & emolumentum, quæ in hoc uestro sacratissimo matrimonio, in quo nihil Thalasso, Christo omne negocium est, duabus quod aiunt, authoris fulta erunt. Id qđ nobis hinc tam certo persuasum est ꝙ sicuti clarissimis ita piissimis maiorib⁹ orta es, ꝙ optimis ipsa uirtutibus ad unguem facta es, ꝙ piissimo ac

inuictiſsimo regi fortunato cõnubio locata es, atq;
hoc quidem opera & conſiliis ſapiẽtiſsimi Imperato
ris noſtri MAXIMILIANI. Qui (quãdoquidẽ explo
ratũ habet Chriſtiano imperatori nullã uel ampliorẽ
uel expeditiorẽ poſse cõtingere laudem,) in noſtræ/
hoc eſt Chriſti reip. ſalutem & incrementum omnes
ſuos cogitatus, omnia & diurna & nocturna conſilia
tanq̃ in ſcopum quendã dirigit. Hæc uero eiuſmodi
ſunt ut nunq̃ fallãt, ut quo ſint abſtruſiora, quo pau-
cioribus atq; adeo nemini cõmunicata eo maiores re-
rum moles ſpectẽt eo ſollicitius tum Romano impe
rio, tum uniuerſæ Chriſtianitati proſpiciãt, uel recla
mãte ignauo uulgo: quod ita ſemper paratũ eſt ut
quæ ipſum minime perſpiciat, quid autẽ ſupra ſuam
conditionem perſpicerent σκυτοτόμοϊ και σκηνορῥάφοι/
id ſine mora / ſine iudicio ſua libidine damnet. Quid
hęc ad Cæſarem? at audimus aliquotiens nec ſine ſto-
macho, ignauiſsimũ quemq; Cæſaris ſapiẽtiſsima fa
cta ut indigna Cæſari, imperio pernitioſa, hoſtili ob-
elo inuadere & impune quidẽ, ſi ſpectes finem, ſi cõ-
ſilium, nihil ꝓſtabilius/nihil ſanctius inuenias/q̃ quod
plebi diuerſiſsimũ uidebat̃. Sed bene ꝙ uulgi iudicia
nuſq̃ nedum in MAXIMILIANI rebus/uel tantilli
faciunda ſunt. Exiſtat utinã aliquãdo cui hæc & digne
& latiſsime explicãdi facultas occaſioq; detur: atq; li-
ceat huc excurriſse. Age iam qui parẽtes q̃ clari q̃ ce-
lebres & dubitem an inter reges regũ Arragoniæ aut
inter principes Sfortiadũ familia præſtãtior ſit, qua-
rum tu sereniſsima regina paternũ ab altera mater-
num genus ab altera trahis, Effulget ꝓfecto utraq;

longe lateq̀ʒ,tum rebus domi millitieq̀ʒ insigniter ac prçclare gestis,tum præcipue pietate & sanctitudine uitæ ut uel hoc solum perspicuũ ac certissimũ argu- mentũ esse possit,nostræ te fidei esse natam. Habes aũt paternũ abauum FRANciscũ Sfortiã principẽ tum rerũ gestarũ gloria ac belli laudibus priscis etiã Cæsaribus conferendũ,talem belli Imperatorem qui suis uenerãdus Christiani nominis hostibus semper formidabilis extiterit tum clemẽtia,æquitate in oẽs, magno & liberali animo nulli secundũ. Auum uero Galeatiũ Sfortia nihil a paternis uirtutibus degene- rem. Quas illustrissim⁹ pater tuus IOANnes GAL- LEATIVS Sfortia si per crudelia fata licuisset fœli citer superatur⁹ erat. Mater porro tua ISABELLA (ut ne ulterius progrediar. Nam ingenti mihi uolu- mine opus esset si omnẽ tuã & paternã & maternam stirpẽ enumerare uelim)adeo omni muliebrç uirtutis genere præstat ut matronaꝝ regiaꝝ norma & Arche typon existimari & possit & debeat. Parce igitur cle- mentissima Regina si in maiorũ tuorũ amplissimis laudibus recẽsendis breuior sum q̃ aut debeã aut ue- lim. Nam neq̀ʒ huius meæ oratiõis angustiæ tam Au- gustas laudes capiunt & ad tuas festino, quæ tales tã- tæq̀ʒ sunt ut ex maiorib⁹ uirtutis laude nulli cæssura credaris. Hçc igitur sunt semina hç radices,hi stirpes quibus tu fœlicissimũ germen dulcissimus fructus & θάλασσα ἀγαθῶν id quod ex ipsius nominis ratione pla- ne patet orta es,quibusq̀ʒ maximarũ uirtutũ tacitam quandam & occultam uim trahis:quæ tanta fœlicita- te in tuo candidissimo pectore iam num essulgẽt ut

nihil minus sit uerendũ q̃ nequid ab iis talibus dege-
neres nihil constantius asserendũ q̃ te diuina uirgula
ꝙ aiunt diis hominibusq; plaudẽtibus maiorũ uirtutes
assequuturã. Iam si hac in re id etiã nõ parum momẽti
habet, cõtemplemur eximiã oris gratiã, uultus singu
larem probitatẽ heroicam plane faciẽ & ipsis (quod
dicitur) charitum officinis eductã, radiantes ac uere
regios oculos reliquãq; corporis aptissimã Symetri-
am. Dispeream si quis negabit te unam & formosiss.
Helenam & pudicissimam Penelopen simul referre.
Elucet autẽ in te, parce serenissima Regina, procul
abest adulatio, nescio quid regiũ ac Imperatoriũ Au-
gusta quadã maiestate & amplius q̃ humana, quæ q̃-
uis ita sint uelis tamẽ quæ est, tua innata bonitas, nul-
la re minus formosa uideri ac laudari q̃ forma, sicuti
nec aliarũ & corporis & fortunæ dotium ut momen-
tanearũ laudem plurimi facis, & de tuis propriis bo-
nis hoc est uirtutibus parcissime cupias audire, Mo-
do q̃ sis (quod ad futurã laudem aut uituperiũ longe
plurimũ atq; adeo totum refert) non minus sancte
q̃ regie educata, quid attinet longius prosequi, quũ
id ex tuis præstantissimis uirtutibus luce ipsa clarius
elucescat. Nam siue quis animi pudicitiã spectet siue
impolluti corporis castitatẽ, quarũ in hac ætate pre-
cipua cõmendatio est, cernet eas in te non minus ue-
nerandas q̃ admirandas. In sanctiss. aũt sermone pu-
dor, in factis uerecũdia, ita in te contendũt, ut in uni-
uersa oratione quemadmodũ nihil lasciuũ, nihil ob-
scœnum, nihil humile, nihil deniq; te indignũ ac LV-
cretiæ nõ audiendũ deprehẽdi possit. Ita in omnibus

factis tuis nihil sit omnino quod a grauitate & sancti
monia uel transuersum unguē deuiet. Decētissimus
incessus/pietas/animi modestia/facilitas/quā laudem
merentur quū in te adeo sint præsto & absoluta ut ne
Momo quidē iudicium relinquat. Te enim una uel in
deos uel parentes nihil obseruātius, nihi in omnibus
agendis rebus moderatius, erga omnes nihil mitius.
Consulto ingenii acrimoniā & singularē prudentiā,
prætereo quibus adeo excellis, ut uix quippiam tam
arduum tam implicatū sit quod non illico perspicias
nil tam abstrusum, tam ambiguū quod tuū iudicium
fallat. Quibus/quod nō adeo multis cum laude con-
tigit, cum summā eloquentiā & nō mediocrē erudit-
onem castissime cōiunxeris, non uideo quid amplius
tibi ad laudatiss. Reginæ famam deesse possit. Sunt
hæc quidē præclara, si quis autē mihi perpendat in te
liberalitatē/temperantiā/ magnanimitatē / protinus
nisi Midas sit, extra muliebris sortis aleā te locabit, si
enim sexus opinioni uestræ tantū derogat ut nō uel
paucarum uirtutū capaces credamini. Quis satis unq̄
laudabit tot tātasq; simul in te cumulatas esse? qs te
nō eo amplioribus cēsebit præconiis, quo minus tale
quippiā de muliere sperari debet? An aūt nō maximo
animo tribuendū est te dulcissimā patriā ubi oīa quæ
uel usus uel uoluptas prīcipis desiderare poterat ad
nutū præsto erāt quæ aliquotiēs uiros etiā a magnis
rebus abduxerūt, tamē deseruisse. Pelagi tā p̄sentia
pericula nō horruisse ubi nō amplius q̄ttuor digitis a
morte distamus tam durū & ignotū ac tot miliarium
iter impigre ingressā esse, tā longinquā conditionē,

quũ domi pro dignitate non deesset accepisse pub/
licę utilitatis gratia. Arbitror tibi inclytissima regi/
na diuinã quandã scintillã esse inditam qua præsenti/
as in maximos usus & summa Christianoꝝ incremẽta
te genitã & destinatã esse, atq; ita oĩa & itinerũ & la/
bornm tedia tam alacriter nõ muliebri animo perfe/
ras. Neq; uero tibi quippiã optabilius uideri potest,
quũ noris a sapientibus summę semp laudi datũ esse
non sibi solũ sed amicis etiã & patriæ nasci: ac intelli/
gas nõ tuis te nõ patriæ tantũ sed pluribus populis
sed uniuersæ Christianitati natã esse. Cæterũ ei prin/
cipi desponsa es, qui / excepto solo MAXIMILIA/
NO is enim neminẽ habet neq; parem, neq; secundũ,
inter omnes Christianos principes nulli cedat, siue
opes siue genus & stẽmata, siue oĩa quæ regi debent
corporis dona spectes, seu inuictũ & ingentẽ animũ
seu reliquas uirtutes: quas inter iusticia pietas & relli
gio adeo totum principẽ sibi uendicãt, ut nihil glori/
osius sibi nihil se dignius ducat / q̃ nostrã sanctã relligio
nẽ non solũ tueri & incolumẽ reddere sed & augere &
propagare ac Christiani nominis hostes longe lateq;
arcere profligare excindere: cuius rei superiori anno
non mediocre specimen edidit, quũ ad Borysthenẽ
Scythiæ fluuiũ supra quinqnaginta milia infidelium
desyderata sunt. Iam tandem quod ad piissimũ con/
iugii amorẽ attinet Sit quę in uiri uulnere speciosissi
me occubuerit, sit quæ mariti cineres ĩ miracula retu/
lerit, sint uel e Romanis uel exteris mulieribus, quæ
id laudis meruerint, ut iam nõ sexu sed animo uirtutẽ
estimandã oĩbus cõueniat. Ego tamẽ neq; Pantheam

5

neq; Arthemisiā, neq; ullam aliam tibi prætulerim. Neq; rursus dubitarim tuum humanissimū Regem nulli ex ueteribus in hoc tam præclaro pietatis gene re cessurū & merito quidē, quid enim in te quod mi nus tāto amore dignissimū sit, q̄ aut in Cornelia aut Orestilla? quaꝝ hāc mortuā uir impiger sequutu s est illius salutem maritus suæ nō dubitarit anteponere, ut plane credendū sit neq; te præstātiori Regi nube re, neq; illū digniorē principē uxorem ducere potu isse. Modo cū hæc ita sint, quis est qui nō intelligat hoc uestro sacratissimo matrimonio Christianis op time prospectū esse, Poloniæ regnū Christiani im perii tutissimū ac munitissimū propugnaculū fore te fortunatissima Regina tuo piissimo Rege bella gerēte nihil nisi uictorias pulcherrimas, frequētibus nunciis auditurā, nihil nisi speciosissimos de impiis & crudelissimis nostri nominis hostibus trinmphos uisurā. Hac igitur cādidissima die quā nobis fecit do minus, de tuo tam fœlici in tantas spes aduentu leta mur & exultamus, priuatos interim luctus posthabē tes. Gratulamur ex totis animis te talem uniuersæ Christianæ reip. Gratulamur Poloniæ talē Dominā. Gratulamur tibi optima BONA tuū īuictiss. Regē SIGISMVNDVM. Gratulamur inuictissīo Regi tuo SIGISMūdo te optimā BONAM, uestras nu ptias & fœlices & fœcūdissimas exoptamus, ut pluri ma sobole, nec degenere fortunati sitis, Deūq; opti mū Maximū supplices oramus, ut hoc uestrū matri moniū sine ulla calamitate perpetuū sit, uosq; post innumeros annos in cœli sedibus beati. Iamq; orati

onis meæ uela cõtraho, si prius tibi serenissima Regina, hunc nostri Gymnasii prudentissimũ moderatorem, & hanc splendidissimá eruditorum cateruá totumq; nostrum florentissimũ Gymnasiũ, singulosq; eius alumnos, & me postremũ homuntionẽ q̃ humillime etiá atq; etiam cõmendauero. Et a Deo optimo maximo tantos rerum successus uobis omniũ nomine pius orauero, ut omnes qui non solũ hic, sed ubiubi gentium, uel uorsa, uel prosa ualeát oratione de rebus ac uirtutibus uestris uberrimá scribendi materiam semper habeant.)

Dixi die. 19. Martii. 1518.

Deo laus & gloria.

Viennæ Pannoniæ per IOannẽ Singreniũ impressũ.

